

Aula Sereniff. Ducis Mecl. *Jo. Alberti* agentis, Lectionibus ordinariis publico in Auditorio habendis sustineret. Quo munere & magno cum Auditorum applausu constanter & assidue functus fertur, ut vel hoc ipso de Academia Rostoch. præclare meritis fuisse dicendus sit, ad Professionem Ord. fortè admovendus, nisi æt. 55. Anno 1642. 22. Jan. ex hac vita evocatus, hanc Academiam cum cœlesti permutasset. Plura desideranti satisfaciet B. D. *Jo. Quistorpii* Programma in funere ipsius publicatum, Anno 1642. Scripta autem num præter Disp. inaug. jam cit. ediderit compertum mihi non est. Atque hæc quidem hæctenus quoad Sect. II. de Jctis, quam exceptura ultimo loco est

## SECTIO III.

delineans

### MERITA PHILOSOPHORUM.

**E**xhibet hæc ipsa sectio primo inter Philosophos loco, serie quidem Alphabeticâ

#### HENRICUM ARSENIUM,

Qui cœtaneus fuit Magni illius *Arnoldi Bureni*, mox nominandi, eodemque tempore Professorio in hac Acad. munere functus, licet aliquo ante eum intervallo Professore egerit atque solus unusque Academiam hanc penitus collapsam restauraverit *Burenus*. De eo verò ita *Caselius in Epist. ad Jo. Reccium*, in Opusc. Westph. p. m. 176: Eodem tempore eodem loco (quo *Burenus*) vivebat *Henricus Arsenius*, - - illis fortè in iis, de quibus dixi, non par omninò, nec multò tamen inferior, in quodam superior haberi poterat. Sæpè autem mecum in hortis, quos colebat de maximis hujus Seculi contentionibus contulit, quas deplorare quilibet, emendare potest nemo. Græcarum præ reliquis literarum fuit peritissimus, in iisdemque Studiosam juventutem instituens, excellenter de hac Academia meritus fuit. Unum idque singulare (verba sunt *Caseli* l. c.) de hoc viro referam & memorabile: quod in vita ista otiosa nunquam vacabat à lectione Græcorum Veteris Ecclesie: hoc & ipse vidi, & testantur libri unus & alter, quos habeo ab hæredibus. Nec quidam